

DISSERTATIO ACADÉMICA,
DE ORUM CUM MORTALIBUS
IMMEDIATE HABITA COMMERCIA
EX HOMERO ILLUSTRATA
SISTENS,

CUJUS
PARTEM IMAM,
CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNSIS,

PRÆSIDE
JOHANNES BONSDORFF,
Litter. Græcar. Profesf. Cr.I.,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,
PUBLICÆ HONORUM CENSURÆ OFFERT
CAROLUS GUSTAVUS BONSDORFF,
Wiburgensis.

In Audit. Med. die IX Junii MDCCCXIX,
h. a. m. s.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
1155 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

RECEIVED
JAN 15 1964

DR. ROBERT H. COOKE
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
UNIVERSITY OF CHICAGO
1155 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

Dear Dr. Cooke:

I have received your letter of January 14, 1964, regarding the matter of the University of Chicago's interest in the work of the University of Illinois at Urbana-Champaign.

I am sure that you will find the information enclosed of interest.



*"Non semper ea sunt quæ videntur, decipit
frons prima multos".*

Phædrus in Prol. ad L. IV.

Ut summæ impietatis esset & impudentiæ, Divinam in ordine & viribus naturæ sustentandis Providentiam præfracte negare, cunctaque, quæ in Universo contingunt & accidunt, ad fatum revocare Stoicum, quum tamen nihil sit, vel teste CICERONE (a), *tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur:* ita neque minorem insipientiam, si vel maximam pietatem, proderet qui singula in mundo physico & morali conspicienda phænomena ad immediatam Dei curam & administrationem retulerit. Naturam namque suis adstrictam esse, nusquam abrogatis aut abrogandis, legibus, omnesque res & effectus suum in causis naturalibus, sive prioribus, sive remotioribus, utcunque aciem oculorum nostrorum haud raro fugientibus, habere fundamentum, adeoque nec immediate & extra naturæ

A ordi-

a) *de Natura Deorum L. II, C. II,*

ordinem h. e. per miracula, verum utique, mediantibus naturæ legibus, Universum hocce a Summo Numine conservari & gubernari, multorum jam seculorum sanior experientia, si vel paradoxon fuerit, evicit & comprobavit. *Quidquid enim, ut bene item observat CICERO (b), oritur, quaecumque est, causam habeat a natura necesse est, ut etiam si præter consuetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit existere.*

Longe tamen aliter prisco ævo senserunt homines. Cum enim, virium atque legum naturæ ignorantia, cujus quidem nebulas magnam partem feliciter iam dispulit philosophiæ lux, præpediti, causis rerum naturalibus rite perscrutandis & detegendis pares non essent, & tamen, rationes, sibi saltem sufficientes, vel conjectura (ut sunt homines hoc respectu curiosissimi) assequi, innato quodam intellectus ferrentur nisu, in eam ultro adducebantur opinionem, quævis, quorum physicas introspicere non valerent causas, nexum atque scopum, phenomena, a Diis (quos & ipsa causarum inscientia genuit) operantibus esse repetenda. Hinc neque in eo solum persistere, horrenda quævis naturæ spectacula, v. gr. terræ motus, fulmina, tonitrua, tempestates e. s. p., immediate a Diis iratis originem ducere; quandoque autem hisce, ut & magis info-

b) de Divinatione L, II, C, XXVIII.

insolitis in genere, phænomenis, v. gr. eclipsibus corporum cælestium e. s. p., futura hominum a Diis præsignificari fata: verum alios quoque, minus insignes, sensibus externis æque perceptos & captum orbis antiqui superantes, hominibus sive exitiosos, sive beneficos, sive etiam ἀδιάρητους, naturæ effectus, quin & fortunam casusque, sive secundos, sive adversos, inprimis inexpectatos & extraordinarios, ab iisdem Diis, ut vel ipsa linguarum, præcipue antiquarum & minus cultarum, redolet conformatio atque facies, derivarunt tanquam causis efficientibus. Quid? quod singula fere, quæ in homine, quem recte μικροκοσμον dixeris, quemque *ἄνθρωπος τῶν ζῴων θεῶν* vocat PLATO (c), apparuere, e facultatum animæ natura atque indole commodissime jamjam explicanda, priscorum autem ingeniiis prorsus impenetrabilia, phænomena, ad idem retulerunt causalitatis principium. Tantum enim abest, ut, priscorum ævo, virium, affectuum, atque operationum animæ ideam habuerint, ut potius, quidquid, sive egregium, sive fatuum, humana præstitisset mens atque animus, Diis, non tam quia ad actiones humanas, quæ jam vulgaris est opinio, crederentur concurrere, quam quia illarum plane essent auctores, adscripserint, nec, nisi fero admodum, ad virium istarum, ut per se subsistentium & agentium, conscientiam, interna experientia &

A 2

fanio-

c) *Dial. I. de Legibus* (mox ab initio),

fanioris tandem Psychologiæ præceptis edocti pervenerint. Interea, miserabili hacce legum naturæ pariter ac virium & facultatum animæ ignorantia factum est, ut plurima, quæ extra hominem evenere, phænomena portentorum miraculorumque instar coluerit (*d*), intus vero concepta ut immediate a Diis inspirata haud raro crediderit, ipsaque adeo dicta factaque ad Deos suggerentes & impellentes detulerit, immo visa & phantasmata, hominum imaginationi, sive per ecstasim, sive per somnia, oblata, ut divinitus immisssa sibi finxerit, eoque pacto omnem fere, quæ quondam obtinuit necdum penitus profligata est, superstitionem introduxerit, pia, sed rudis & credula, antiquitas. Quis enim est quin videat, veterum de *prodigiis, portentis, ostentis, monstris, ominibus, divinationibus, oraculis, Deorum, tum inspirationibus, tum apparitionibus* (Θεοφανεϊας, επιφανειας), tum etiam cum genere nostro *confabulationibus*, & quæ sunt reliqua ejusdem farinae, latius opinione per orbem disseminata, placita, e falsa, quam exposuimus, causalitatis theoria, homi-

d) Hujus sine dubio rei ratione habita, ingeniosissimus, sed tamen multis nominibus execratus SPINOZA (*Tract. Theol. Polit.* p. 69) aserit, "nomen *miraculi* nonnisi respective ad hominum opiniones posse intelligi, nihilque aliud significare, quam opus, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit aut narrat".

minumque connato *futuri temporis exitum*, quem tamen *prudens caliginosa nocte premit Deus*, prospiciendi libidine atque pruritu, effluxisse? Contra vero, ecquis est qui non agnoscat, hæc omnia, in scriptis antiquorum frequenter obvia, opinionum commenta mole sua ruere, modo genium, præjudicia, atque stilum antiqui orbis, cui *nil sine Numine*, respexeris?

Hujus vero genii cum apud Homerum, Poëtarum, ut ætate, ita & ingenio principem, luculentissima inprimis occurrant vestigia, hic jam, Speciminis, quod a nobis exigunt Constitutiones Academicæ, loco — vel *Fanaticorum & Enthusiastarum*, qui singulare cum Deo consortium venditant, pace — exhibere & quantum vires permiserint explicare liceat frequentissima, quorum in Iliade & Odysæa facta est mentio, *Deorum cum mortalibus immediate habita commercia*. Qua quidem in materie pertractanda hunc servabimus ordinem, ut, moris Theologorum, qui *Revelationem immediatam in Simplicem & Symbolicam* dispescere solent, systematis ergo, accommodatione facta, primo quidem, quæ ad *Simplex*, immediata inspiratione (e), sine ullis signis, peractum, dein

e) Non equidem ignoramus, *inspirationis & Θεοπνευσίας* vocabula nusquam apud profanos Scriptores Latinos & Græcos occurrere: novitate tamen sua haud facile quemquam, qui, quomodo ex ἀπ᾿ αὐτῶν λεγόμενα: Θεοπνευστες II.

dein vero quæ ad *Symbolicum*, per signa & symbola, five sensibus externis, five phantasie objecta, antiquitus celebratum, Superiorum cum hominibus commercium pertinent, loca excitemus maxime illustria: non tam sperantes, quam potius confidentes, Lectorum, si qui fuerint, haud facile quemquam, quod, hac admisa distinctione, sacra profanis miscuerimus, nobis objecturum.

§. I.

Homericas de hominibus divinitus inspiratis Diisque inspirantibus narrationes, ubi verba premere velis, minime audiendas esse, facile dabimus, utroque quisquis rem rite pensitaverit dabit. Quamvis etenim physicam inspirationis Divinæ possibilitatem summopere urgeat BONNETUS (*f*), Patrumque nonnulli, ducta e tibiis, quæ inflantur, five lyris & citharis, quæ plectro pulfantur, similitudine, *modum*,
quo

Tim. III. 16. & Vulgatæ Versionis inde facta translatione formata & in Scholis Theologorum excepta sint, attenderit, ipsamque ideam vocabulis hisce significatam, & Romæ, & Hellados Auctoribus, *afflatus Divini* & Θεων εμπνειστων mentionem sæpius injicientibus, admodum familiarem fuisse meminerit, sollicitent.

f) La Palingenese Philosophique T. II. Partie XVII. p. 156. f, coll. Ejusdem Auctoris Essai Analytique sur l'ame §. 676.

quo Numen inspiret, fatis sibi visi sint explicasse (g); per se tamen patet, hæc omnia rem hyperphysicam explicandi pericula saniori mentis humanæ theoriæ vix ac ne vix quidem posse conciliari (h), atque propterea neque Homero, quoties Heroas divinitus actos & afflatos sistat, fidem esse faciendam. Cave nihilominus ex altera parte credas, Poëtam narrationes hæcæ data finxisse opera. Si enim vel maxime concedamus, magnam in Homero, præcipue qua mythos, elucere fingendi, non tantum licentiam, sed & libidinem; inde tamen non sequitur, cuncta, quæ in Homero mirabilius sonent fabulamque sapiant, ortum suum, ut Veterum haud pauci opinati sunt (i) hodieque qui omnem inter sacros & pro-

g) Illa quidem similitudine utitur ATHENAGORAS in *Apologia* s. *Legatione pro Christianis*; hac autem JUSTINUS MARTYR in *Cohortatione ad Græcos*.

h) Cfr. DOEDERLEIN *Institut. Theol. Christiani*, prolegomenor. Cap. II. §. XVI. obs. 2, it. *Disertatio Theologica de indole Θεοπνευσίας Scripturæ Sacræ* P. I; or *sub Umbone* JACOBI GADOLIN p. 11 — 15.

i) Horum, præ aliis Homeri hac in parte zoilis, nominandus videtur ERATOSTHENES, contra quem disputat STRABO *Geogr. L. II. p. 26. f.* Edit. Casaubon. III. — Quin & CICERO *Tusculanar. Quæstion. I. I. C. XXVI.* fabulas apud Homerum occurrentes ab ipso Homero auctore videntur repetere. Postquam enim mentionem fecisset fabulæ de Ganymede a Diis propter formam raptam, ut Jovi bi-

profanos μῦθς horrent parallelismum e re sua ducunt asserere, Poëtæ tantum debere phantasiæ & ingenio. Quia potius magna probabilitatis specie sese commendat, quam plerique recentiores Homeri tumentur Interpretes, quæque nec Veterum destituta est auctoritate (k), opinio, Poëtam, & in rebus ad Trojam gestis Ulyssisque erroribus describendis, & in mythis, quibus carmina sua Poëtarum more exornavit (l), enarrandis, famam popularem traditionesque, utut poëtice a se amplificatas, esse secutum, adeoque *Historici* non minus quam *Poëtæ* egisse personam. Ut vero mythi atque fabulæ antiquæ in genere βαδύτερον νοῦν ἐγκεκρυμμενον τοῖς ἐπεσι, ut est apud PLUTARCHUM (m), sine dubio spectant suisque hoc

bere ministraret, subjungit: "Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallet ad nos"; quasi fabula de Ganymede, Homero non eslet antiquior.

k) v. gr. STRABONIS (L. I. p. 20. coll. 1. c.), POLYBII (L. XXXIV. C. II.), ÆLIANI (V. H. L. VII. C. II.) e. g. f. c. Immo STRABO L. XI. p. 508, majorem quoque fidem Hesiodo & Homero, cum de Heroibus verba faciunt, tribuit, quam Ctesia, Herodoto, Hellanico, & eorum similibus.

l) νόμος τοῖς ποιηταῖς μὴ γυμνῆν τὴν ἰσορίαν ἐπιθεσθαι, ἀλλὰ μῦθοις καταποικάζειν. EUSTATHIUS in proœmio *Commentariorum in Odysseam*.

m) in Libro *de Musica*.

hoc pacto gaudent, longe lateque haud raro diffusis, in avita gentium, de rerum ortu, causis & natura, immo factis & eventibus vel maxime naturalibus, philosophia qualidemuncunque quærendis, radicibus; ita narrationes quoque Homericæ de Diis inspirantibus suum in orbis antiqui sentiendi, cogitandi & loquendi ratione habent fundamentum. Præterquam enim quod apud Homerum prisco ævo communis, quam in ipso jam limine disertationis breviter delineavimus, locum habeat, & qua naturæ nosmet circumdantis phænomena, externaque fortunæ fortisque, sive bona, sive incommoda, & qua animi corporisque dotes suapte natura ingeneratas, habitusque studio, usu & exercitatione comparatos, philosophia & religio (n): cuique Home-
 B rum

n) Qualis Homeri circa naturæ phænomena fuerit philosophia & religio, facillime, vel ex Deorum, insigniora illa spectantibus, epithetis, v. gr. Jovis: *αεροπονητης, ὑψιβρεμετης; νεφεληγερετης, κελαινεφης*, Neptunique: *ενοσιγαιος, ενοσιχθων*, intelligitur. — Neque minor qua fortunæ beneficia & injurias, casusque & eventus rerum humanarum varios, fortuitos maxime & inopinatos, Poëtam occupaverat superstitio. Diis quippe, ex philosophia Homericæ, homines accepta referunt: amplissimos honoris gradus (*Il. I: 279. II: 197*): sceptrum atque jura majestatica (*Il. II: 205. IX: 99*): opes & divitias (*Il. II: 670. XXIII: 298. Od. XVIII: 19. &c.*): nuptias prolemque (*Od. IV: 7, 12*): contentiones (*Od. III: 136, 161*) bellaque illata (*Il. III: 164*): victoriam (& in bello *Il. III:*

rum debita attentione legenti perspectu erit facillimum, patrem Poëtarum, neque affectuum, quibus homines haud raro abstracti, nunc in vitia illico ruunt præcipites, nunc ad præclara incitantur facino-

439. VII: 81, 154, 203. XVI: 725, & in certamine II IV: 390, coll. V: 808) prædamque (Od. XIV: 86): pestem (Il. I: 10. f.): calamitates & miseriam (Od. XVIII: 255 coll. XIX: 129. XXIII: 210): urbium incendia (Il. XXI: 523): verbo, bonumque malumque (Od. IV: 237. VI: 188 f. coll. XVIII: 272); unde nec mirum quod toties apud Homerum legimus, Deos tela sagittasque, prout felici aut infelici omine atque successu easdem emisissent Heroës, direxisse, avertisse, aut saltem vi sua effectuque plus minus privasse (cfr. Il. IV: 127 f., V: 290 f., VIII: 311. XI: 445 f. XII: 402. XIII: 562. XV: 521. XVII: 632. XX: 98, 438): Deum item, navigantes in portum ducere (Od. X: 141, etiam per noctem obscuram Od. IX: 143), errare eos facere (Od. XVI: 64, coll. XXIV: 305), domum reducere (Od. XVII: 243. XXI: 196), e. q. s. c. — Ubi autem casus atque eventus, qui, fortuito imprimis aut inopinato, cuiquam sive emolumento sive detrimento, acciderant, enarrantur, *Dii* item sæpissime a Poëta proponuntur *e machina*. Rumpitur ex gr. Menelao Paridem in pugna singulari e galea ad Achivos fortiter pertrahente, retinaculum galeæ: non vi Menelai & quia resisterat Paris, sed virtute Veneris (Il. III: 369. f.). Tendit jam arcum letiferum in Hectora Teucer: sed, machinatione Jovis, rumpitur nervus, alioque evolat sagitta (Il. XV: 458. f.). Excidit, in cursu equestri, e manibus Dionædis scutica: en vero excutientem Apollinem (Il. XXIII: 384). Jugum equinum Eumeli, in

cinora, in mores & ingenia cognovisse vim, neque mentis humanæ præterea familiarem sibi habuisse naturam & indolem, atque propterea quoque, non modo vehementiores animi commotiones perturba-

B 2

tiones-

eodem certamine, frangitur, & quidem ab ipsa Minerva (v. 391 f.). Labitur Ajax, curlu certaturus; non sua culpa, sed vitio ejusdem Minervæ (v. 773 f.). Incidit Ulysses cum suis fortuito in capras montanas, magnamque illarum partem hastis suis, ut escam præberent, transfigunt; alia autem occasione, solus cum esset, cervum magnum obviam sibi læctum interficit; sed, ut Nymphæ illas excitarunt, ita hunc quoque Deorum aliquis immiserat (*Od. IX: 154 f. X: 157 f.*). Subsilunt ex improvise fugientes Trojani Achivosque insequentes fortiter excipiunt: atque mox in eam opinionem adducuntur Achivi, aliquem immortalium descendisse Trojanis auxilio (*Il. VI: 106 f.*). Retulerat Euryclæa Penelopæ, Ulysses, domum tandem reducem, procos, qui, sub prætextu ipsam ambiendi, bona domus, epulis quotidie vacantes, atterant, interfecisse: verum magnam adeo & inopinatam rem nonnisi aliquem immortalium gessisse existimat feminarum nobilissima (*Od. XXIII: 63*, ad quem locum cfr. quoque *XXIV: 181*). Læditur Hector, horrendo lapide ab Ajace Telamonio percussus, ad genua, caditque supinus: sed surgit extemplo, erigente eum Apolline (*Il. VII: 268 f.*). Cadit idem Hector, a Diomede percussus, nec tamen vulneratus, rursus in genua, animique patitur deliquium: mox autem rediens ad se, in currum insilit, fugitque, ereptus sic quidem, ut ipse fert Diomedes, ab Apolline (*Il. XI: 363.*). Prodit item insperato Hector, quem Thoas ceterique Achivi vulnere ab Ajace Ôlei

tionesque, verum etiam singularem, quo affectuum stimulis concitati mortales, quisque pro suo phantasiæ & ingenii modulo, quandoque feruntur, animi, in cogitando, dicendo, agendoque, vigorem atque impe-

filio accepto mortuum crediderant, in pugna: neque rei possibilitatem aliter explicare valet Thoas, quam quod Deorum aliquis eum restituerit (*Il. XV: 386 f.*). Redit subito Glaucus, gravi vulnere ictus, ad se, pugnaeque denuo fit particeps: sedaverat quippe dolores Apollo, fortemque animum immiserat (*Il. XVI: 527*). Clam & inexpectato subducunt se Heroës præsentissimis pugnae periculis: ecce autem Deos eripientes caligineque involventes (*Cfr. Il. III: 381. V: 23. XI: 750. XX: 443 f. XXI: 596.*) Narrat etiam Ulysyes (simulate quamvis) Eumæum congressus, se, nave, qua ex Phœnicia veheretur, Jovis fulmine percussa, passum fuisse naufragium, manibus vero suis malum navis, cui inbærens, undis volventibus, ad terram Thesprotorum salvus pervenerat, eundem Jovem imposuisse (*Od. XIV: 305 f.*); inde autem cum deduceretur, Deos ipsos vincula, quibus deductores ad Ithacam appulsi, pessimo consilio, vendendi scilicet, se constrinxissent, dum hi quidem in littore egressi cenam fumerent, resolvisse, seque, postquam hoc pacto ansam ipsi suppeditassent elabendi, iisdem loca vicina inquirentibus abscondisse (*Od. XIV: 348*). — Quod vero ad hominum naturæ munere concessa dona laboreque indefesso partos habitus attinet, neque in illis naturam parentem atque opificem Homerus agnoverat. Sinit namque Deos (aut nominatim, aut etiam in genere) ut datores auctoresque, v. gr. formæ atque speciei hominum venustæ (*Il. VI: 156. Od. VIII: 167 f., coll. XVIII: 179, 250.*

impetum (quem utique statum mentis exaltatum, sine quo nemo unquam magni quid & eximii præstiterit (o), recte *enthusiasmum* in genere (p) vocaveris)

XIX: 124), proceritatis atque virium (II, VII: 288), ut &, qua eminere quandoque viderentur, dignitatis gratiæque (Od. II: 12, VIII: 18, XVII: 63, XVIII: 186. f. XXIII: 156. f. XXIV: 366 f.), aut omnino faciei ira exardescens terrificæque (II, XVIII: 205 f.): roboris atque fortitudinis (II, I: 178, 290. IX: 254. Od. XXI: 280): ingenii & eloquentiæ (Od. VIII: 167 f., coll. I: 348. VII: 110): artis pugnandi prudentiæque (II, XIII: 730 f., coll. VII: 289), itemque, si textus loci vulgo receptus tanquam genuinus habendus erit, artium, saltandi, citharam pulsandi, canendique (quarum utique virtutum, has quidem speciatim quoque divinitus & dari & auferri proponit (Od. I: 347. VIII: 44, 480. XVII: 518. XXII: 347. II, II: 595. f.); prætereaque Apollinem ut arte vaticinandi, itemque jaculandi, Dianam ut arte venatoria, Minervamque ut telam texendi, immo Mercurium ut dolose simulateque agendi, peritia, imbuentes (II, I: 72, II: 827. V: 51. Od. VII: 110. XIX: 396): alia Deorum sic dicta dona, quibus alter alteri ceteroquin præstiterit, quorumque nemo ex suo arbitrio particeps (II, III: 66), ut hoc loco prætereamus,

- o) Hinc bene, ad sui quamvis temporis genium apposite, ait CICERO *de nat. Deor* L. II. C. LXVI: *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.*
- p) Dividit PLATO in *Phædro* (operum ex Edit. Stephaniana T. III. p. 244) *enthusiasmum*, in *divinatorium*, *mythicum*, *poeticum*, & *amatorium*, privæque speciei Apollinem, secundæ Bacchum, tertiæ Mulas, quartæ denique Venerem,

veris) ab axe æthereo repetere, quin & solito, aut prudentius, aut etjam imprudentius, cogitata, consultata, dicta, actaque, a Diis immediate inspirantibus impellentibusque arcescere. Qui enim, ut a commotionibus animi ordiamur, alias fieri potuisset, ut Deos iram, v. gr. Achillis in Agamemnonem, excitasse, Phenicis vero in patrem, compescuisse, e. q. f. c., proponat Poëta (g), nisi naturam cum Deo, præjudicata veterum adductus opinione, confuderit? Qui porro, nisi ex eodem præjudicio, factum est, ut poëticum, quem subinde se experiri fatentur εὐφραντασιῶται quique & subacti ingenii poëtæ, enthusiasmum sive furorem (r), poëtis usque adeo neces-

auctores habet, FLUTARCHUS autem (in *Erotico*, Edit. Reiskianæ Vol. IX. p. 40. S.) in *Divinatorium*, *Corybanticum*, *Poëticum*, *Bellicum*, & *Amatorium*, dispescit. Alii vero aliter enthusiasmi species disponunt. Generatim tamen omnem omnino extraordinarium cogitandi, dicendi, agendique (olim, ut ipsa vocabuli εὐθεσιασμος docet etymologia, inexplicabilem) impetum complectitur.

g) Il. IX: 459, 632.

r) Antiquas gentes, quia naturalem, neque furoris & insanix, neque vehementioris, quo Prophetæ oracula edituri abripiebantur, impetus reddere valuerunt rationem, non solum mente captos (quos quidem hodieque, in Oriente, divino spiritu agitados cenferi testatur HERBELOT *Biblioth. Orient. T. II. p. 207*), verum etjam ecclasi prophetica, quæ & ipsa mentis quædam, ut novimus, erat alienatio, extra se raptos & sui non compotes, ut divinitus actos

necessarium, ut frigeant quæ inde profecta non fuerint carmina (s), Musarum afflatui tribuat, furorem-

& afflatos concepisse, satis loquuntur quæ hujus opinionis in linguis Hebræa & Græca, quibus vocabula נבִיָּא & נִבְיָא, ut & μανεισθαι & μαντις, proprie de *insanientibus*, indeque de *prophetis* furore divinitus immisso correptis, adhibentur, superflunt vestigia. Jam vero, cum poetas, æque ac prophetas, divinitus afflatos præsumerat antiquitas, ipsique Poëtæ hanc sibi vindicent prærogativam (v. gr. HORATIUS, *art. poet.* v. 400, OVIDIUS *art. amat.* L. III. v. 549 s.), sacri, sanctique ideo dicti (OVIDIUS l. c. v. 539, & Ennius apud CICERONEM *pro Archia* C. VIII): usu quoque, & Græcis, & Romanis, invaluit, poëtas *vatum* (quos & primum *fatuos* vocatos esse haud inepte suspicatur SCALIGER *conjectaneor. ad Varronem*, ad Libri sc. Vti p. 58) *prophetarumque* nomine salutare (unde & Paulus Apostolus, *Epist. ad Titum* C. I. v. 12, Poëtam *Epimenidem* προφητην vocat, WARROQUE, *de lingua Lat.* L. VI. C. III., apud Latinos, *poëtas* vocatos fuisse *prophetas* testatur), vocabulumque *furores*, qui quidem CICERONI (præfagitionem acrius exardentem expolituro, *de divinatione* L. I. C. XXXI.) appellatur, quum a corpore animus abstractus, divino instinctu concitatur, ad entusiasmum poëticum significandum traducere.

- s) Quanti entusiasmum sive furorem poëticum fecere antiqui, satis superque testantur: PLATO, qui l. c. p. 245 ita habet: ὅς δ' ἂν αἰνεύῃ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικῆς θύρας ἀφικηται, πειθεῖς ὡς ἀρὰ ἐκ τεχνῆς ἰκανῶς ποιητῆς εἶσομενος, ἀτελής αὐτὸς τε καὶ ἡ ποιητὶς ὑπὸ τῆς τῶν μανόμενων. Democritus *Abderna* (ap. HORATIUM *art. poet.* v. 296)

remque bellicum, ut & omnem, solito majorem, in re quacunque suscipienda & perficienda, ardorem & audaciam, viriumque intentionem in genere, a Diis item inspirari & effici dicitur? Novimus scilicet, Poëtam Musas, ut sibi — qui & ipse nihil earum rerum, quas cantu celebraret, viderat, sed famam tantum audiverat (t) — adlisterent, frequenter admodum inter canendum invocare (u). Atque legimus item: Deos vel Deas, quoties Heroës militesque entusiasmo bellico incitati illustria edebant facinora, singularem & per se admirabilem, qua emi-nerunt, vim, fortitudinem & audaciam immisisse & inspirasse (v), contra vero, ubi remissi atque fugaces

qui excludit sanos Helicone poëtas: atque CICERO, qui de Orat. L. II. C. XLVI, hos duces secutus poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse & sine quodam afflatu quasi furoris, asserit. Recentiores vero, quantum entusiasmo statuunt pretium, egregie explicatum vide apud SULZER *Theorie der Schönen Künste*, artic. *Begeisterung*.

t) Il. II. 486.

u) Cffr. Il. I: 1 f. II: 484 f., 761 f., XI: 208. XIV: 508. XVI: 112. Od. I: 1 f. &c.

v) Cffr. Il. II: 451. IV: 439, 507, 514. V: 1, 125, 563. VIII: 335. X: 366, 482. XI: 11. XII: 292, coll. 307. XIII: 82, 154, 678, 794. XV: 262, 611, f. XVII: 210, 499, 544, 569. XIX: 37. XX: 242 (ubi dicitur: *Jovem, prout voluerit, fortitudinem vel augere, vel minuire*) &c. &c., Od. XIV: 216. XVIII: 68. XXIV: 519, &c.